Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

64

da eas in publicum sacellum. Ille uero
de hoc quod dictum fuerat imperturbatus
manens dixit ad eum. Non est iustum
ut arbitror domine patriarcha ea que desu-
per celesti regi oblata sunt terrestri re-
gi dare. Si uero omnino tale ali-
quid iudicasti: crede humilis iohannes
ex eis nummum non dabis. Sed ecce sub
humili lectulo meo est apotheca christi
ut volueris fac. Surgens itaque statim
patricius vocat de suis hominibus qui
portare deberent. et imponit super eos
totas pecunias non relinquens ex eis
nisi unum centenarium. Et cum descen-
derent qui portabant huiusmodi pecu-
niam. ascendebant quidam alii portan-
tes pusillas laguinculas habentes
pecunias missas patriarche de Affri-
ca super scriptas. Alias quidem mel op-
timum. alias mel sine fumo. Cum ergo
descendens patricius legeret super scrip-
tiones laguncularum insinuat patri-
arche ut sibi mitteret de tali melle
quod ad opus suum uteretur. Noverat
enim eum mali esse immemorem. Ascen-
dente ergo cum laguinculis habebat cre-
ditas et responsa reddente et indican-
te pecunias esse pro melle in vasis
statim vere mitis pastor misit ei
unam laguinculam super scriptam mel op-
timum faciens ei pytacium continens
ita. Dominus qui dixit. non te deseram
neque derelinquam sine mendacio est
et deus verus. Itaque deum qui omnibus
escam et vitam prebet. homo corruptibilis
constringere non potest. Vale. Precipit
autem abeuntibus et portantibus la-
guinculam ut diceret ei ut ante se fa-
ceret aperire eam et dicerent ei quod
omnes quas viderat deferri laguinculas
pecuniis essent pro melle replete. Con-
tigit ergo sedente eo ad mensam nun-
ciaverunt eos qui laguinculas porta-
bant et pytacium patriarche. Ascenden-
tibus itaque eis cum vidisset unam
tantum laguinculam dixit ei patricius.
Credo domine magnam ingratitudinem adversum
me retines. Nam unam solam non mit-
teres mihi. Tradito autem eodem pyta-
cio et bullam dissolventibus et evacuan-
tibus coram omnibus pecuniam agnovit
et reliquas laguinculas quas vidit
similiter esse et plenas. Cumque legis-
set quod homo corruptibilis deum constrin-
gere non possit. compunctus de sermone dixit.
Et vivit dominus neque invecta constringet
eum homo et ipse peccator et corrup-
tibilis est. Et relinquens mox pran-
dium et sumens secum quas tulerat pecunias
ab honorando patre abstulerat. et la-
guinculam que ab eo transmissa fuerat.
et de suo tria centenaria apprehendit
eius honoranda vestigia. nullo in ob-
sequium prius sumpto. sed in humilitate
multa ascendens rogabat eum quasi
aliis accusantibus commoto indulgenciam
adeo exposceret satis faciens ei quod ex-
si penitenciam ei daret propterea suscipe-
ret et custodiret. Admirans autem
archiepiscopus velocem viri conversationem
nichil de commisso conquestus est. sed ma-
gis consolabatur eum verbis consolatoriis.
Talis autem amborum confirmata est ex tunc
adeo caritas. ut compater fieret sepe
dicti patricii.

Qui abraham
in hoc quod expediebat temptaverat.
ut eius fidem soli deo cognitam uni-
versus mundus discens imitetur. tem-
ptavit et memorabile istum iohannem.
Modum autem illius temptacionis